

Comment. In Danielem

Non intelligebat impius homo cultum hunc non Danieli, sed Deo in illo exhibitum, ac tributum fuisse. Ipse enim Daniel ei dixerat, Deum cœli sibi mysteriū illud indicasse. Quare statim Rex: Vere, inquit, Deus vester Deus deorum est. Ac eum coluit in diuino illo vate. Id quod Alexandrum Magnū fecisse in pontifice Ioiada Iosephus libro antiquitatum 11. testatur. Appellat autem Nabuchodonosor Deum cœli Deum deorum, quia ei ea patefacit, quæ dii Babyloniorum patefacere nō potuerunt. Aut accipit Deos pro regibus, optimatibus, & iudicib. Quem admodum psalmographus, cū ait Psalmo 49. Deus deorum dominus locutus est. Dionysius tamen Areopagita in libro de diuinis nominibus, deos aliquo modo vocari ait mentes illas cœlestes à materiæ concretionē separatas, quas Latini Theologi Græco vocabulo Angelos appellant. Et Plato afferuit inter Deum, ac homines medias quosdam esse potestates interfitas, quæ ab aliquibus mentes, ab aliis genii, ab aliis spiritus, à nostris Angelivocantur.

¶ *Reuelans mysteria.* Id est patefaciēs oculta iis, quos diligit. Volēs Dauid ostendere fuisse Deo charum, eum alloquens aiebat: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

¶ *Tunc rex Danielem in sublime extulit.* Hoc est, tunc Nabuchodonosor magnis Danielem affecit honoribus, & è tenebris in lucem reuocauit. Suscepit Daniel amplissimos dignitatis gradus, vt illis Deo seruiret, & exules Hebræos merore leuaret. Quod in Mardocheo apud Astuerum factū esse diuinę literę in libro Ester memorię prodiderunt.

¶ *Daniel autem postulat à rege.* Noluit solus splendorem dignitatis obtinere: sed pro focis orauit, cuius precibus fuerunt in honore, ac decore constituti. Non obliuiscitur eorum, cum quibus ad Deū pijs fuderat preces, & qui secū fuerant in discrimen capitis vocati. Eos voluit suæ prosperitatis efficere consortes, qui suæ calamitatis fuerant participes. Cum eorum virtutem haberet multis in

locis perspectam & exploratam, ea nixus confidebat, nullum illis detrimentum honores illos allaturos esse. Vt ignis vehemens ligna in se conuertit: sic flamma diuini amoris opes & dignitates in suos vsus transfert. Et vt ille farmentis augetur, & ascendit in sublime: sic illa diuitiis & honoribus accrescit, & propagatur. Intuēs hoc Salomon: Redemptio, inquit, animæ viri diuitiæ sunt. Et iterū: Corona sapientium diuitiæ eorum. Ideo Deus Abrahamum, & alios quos charos habebat, multarum rerum affluentibus copiis ditauit. At plerumque diuitiæ damnū inferunt possidentibus: & viri iusti qui animū à contagione corporis segregarūt, semper in diuitiis graue pondus seaserunt. Vbi de ipso Abrahamo ait scriptura capite terdecimo Genes: Erat autem diues valde in possessione auri & argenti: habet alia versio: Erat autem grauis vehementer: Diuitiarum pōdere graubatur. Cū enim opes sæculi sint, viro pio diuinę philosophiæ dedito graues sunt. Et Ecclesiasticus capite octauo ait: Multos perdidit aurum & argentum, cordaque regnum peruertit. Et diuus Paulus capite primo prioris ad Timotheum: Qui volūt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Vt rota cū mouetur, quanto sublimius eleuatur à parte posteriori: tanto magis deprimitur ab anteriore: sic qui ad mundi honores, diuitias, & dignitates ascendit, quātō altius effertur à parte rerum prosperarum, tātō plerumque velocius cadit à parte virtutum: Itaque prosperitate alij meliores efficiuntur, alij peiores. Quemadmodum sole liquefcit cera, durefcit lutum: ita rerū humanarum splendore & felicitàte vir plus benignior efficitur, impius autem in solērior redditur. Illud velim perpendas, & iterum, ac iterum memoria repetas, tantum esse in rebus humanis varietatem, tantam inconstantiam, vt nemo sit, qui debeat in illis spem, ac fiduciam collocare. Sapientes Babylonis illustri laude celebrati in puncto temporis iubentur occidi: & in summum capitis periculum accessit intercessione Danielis liberantur.

Ios. 7. h.

Psal. 49.
Dionys.

Plato.

Psal. 50.

Ester 8

Similia.

Pro. 13.
Pro. 14.

Gen. 13.
Gen. 14

Eccle. 8.

1. Tim. 1

Similitudo.

Similitudo.

Da-